

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gallia multis modis Lutheranizans sive de contemptu concilii Tridentini in Gallia

**Masius, Hector Gottfried
Lintrup, Søren**

[Hafn.], [1710]

§XV.

[urn:nbn:de:bsz:31-67575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67575)

cilium Tridentinum conceptis verbis in eum, qui ad Judices Ecclesiasticos causas matrimoniales pertinere negaverit, anathema pronunciat. Hic ergo quis invicem conferat Concilii Tridentini & Ecclesiæ Gallicanæ sententiam: Illud matrimonia sine consensu Parentum contracta pro ratis habet; hæc pro irritis. Illud causas matrimoniales soli iudicio Ecclesiastico subijcit; hæc autem legibus & statutis civilibus eas submittit. Illud anathema dicit secus sentientibus; Hæc brutum anathematis fulmen ridet, & ipsa damnat. Quod Concilium Tridentinum pro licito & rato habendum definivit, Gallia ut raptum prohibet, pœnaque gravissima coërcet. Judicet æquus Lector, an hæc sint parvi momenti, & qualis illa sit, quam jactant, Sacerdotii & imperii concordia.

NOTA. Optatus Gallus in libro de cavendo Schismate Gallie, cujus supra mentionem feci, hoc argumentum fortissime urget, nec sine ratione. Babardus in responsione sua frustra hunc ictum declinare conatur, quod infra docebimus.

§. XV.

Supra dixi, rejectum a Gallis Concilium Tridentinum, nec nisi sero & ægre receptum fuisse; Juvat igitur ab alto repetere hujus rei memoriam. In ipso Concilio Tridentino Episcopos Galliæ plurimis Patrum decretis contradixisse, paulo ante observavimus. Finito autem Concilio, an recipi in Gallia deberet, diu in utramque partem & satis quidem graviter disceptatum est. Henricus II. adversus Concilii decreta plus vice simplici protestatus fuerat. Henricus III. nullis precibus adduci potuit, ut publicæ ejus receptioni annueret. Anno 1579. clerus Gallicanus sollemnissime apud Henricum III. precibus instabat, ut promulgationi publicæ locum faceret: Ille vero rem esse dicebat altioris indaginis, de qua nihil ante statuere possit, quam mentem Consiliariorum & præcipue Parlamenti sententiam perceperit. (α) Rediere postea Anno 1585. ad eundem Regem Cleri Oratores, idem vehementissime rogantes, sed re-

pulsam tulerunt. Seqventi anno denuo venere precibus & lacrimis armati, sed frustra fuit eorum conatus. Anno 1593. Tempore seditionis in Gallia, Legatus Pontificis, qui Henrici IV. hostibus, quos tum la ligue vocabant, haud obscure favebat, in Comitibus Lutetiae habitis primo loco hunc articulum proponebat, ut *Concilium Tridentinum absque conditionibus & limitationibus in Gallia publice reciperetur*, idque se tum temporis, si unquam alias, facile obtenturum esse sperabat Pontifex, quod status unionis illius seu ligae Romae & Hispaniae subsidiis egeret. Nihilominus tamen opposites statim inveniebat ista propositio, quod jam saepius antehac ne quicquam repetita a cunctis Regibus rejecta fuisset. Ut res tamen rite gereretur, id negotii datum est Johanni Magistro aliisque Viris doctis & prudentibus, jurium libertatisque Galliae peritis, ut in doctrinam Concilii Tridentini sedulo inquirerent. Quo facto inventi sunt XXII. articuli, vel ut alii Historiae calculum posuere, XXVI, qui cum libertate Ecclesiae Gallicanae pugnarent. Itaque & hujus Legati irritum fuit institutum, praesertim cum passim in Gallia voces audirentur, libertatem publicam per Tridentinum Concilium opprimi querentium. Postea quidem privato Consilio Dux Meduanus, ut Legati Pontificis precibus faceret satis, illud promulgari iussit absque ulla conditione vel restrictione; Sed hujus facti nullus in Gallia valor & auctoritas postmodum erat. (β).

(α) Videantur acta Cleri Gallicani Tom. 5. part. 7. pag. 4. Item Tom. 5. part. 8. pag. 89. ubi crebra eorum instantia annotata leguntur.

(β) Factum narrat du Pleix Histoire de France circa ann. 1593. pag. 112. Le Duc de Mayenne, dit-il, desirant de donner quelque satisfaction au Legat du Pape, n'en trouva point de plus plausible moyen que de faire publier le Concile de Trente sans condition ny modification quelconque: ce qui fut fait en grande solennité le VI. d' Aoust en la même année. 1593.

§. XVI.

Iteratis igitur vicibus postea petiit Clerus Gallicanus, ut aliquando publice reciperetur Concilium, sed vana fuere omnia argumenta, quæ magno numero in medium afferebant. Sive enim unitatem cum Romana Ecclesia, sive Concilii utilitatem allegarent, plus tamen valuit ratio de Libertate Ecclesiæ Gallicanæ tuenda (α) Imo quo fortius instabat Clerus a Pontifice excitatus, eo magis obstinata erat aula. Anno 1602. tam vilis erat Concilii Tridentini auctoritas, ut libros precum Ecclesiasticarum a Patribus Tridentini publice recognitos in Ecclesiam Gallicanam recipi vetitum fuerit. (β)

(α) Anno 1596. 1598. 1605. 1608. 1610. Solennes ea de re fuisse Cleri instantias ex actis Cleri Gallicani publicis perspicitur; ubi simul orationes in hoc argumento occupatas summatim legere licet.

(β) Videatur Thuanus circa hunc annum.

§. XVII.

Tandem anno 1615. ea etiam de re agitata lis est; Expediatne in Gallia promulgari Concilium Tridentinum (α) Scindebantur autem in duas partes Clerus & populus. Causam populi perorabant gravissimi Viri Miro & Savaronus, docte eleganterque probantes, Concilium Tridentinum cum libertati Ecclesiæ Gallicanæ, tum etiam quibusdam dogmatibus hætenus creditis & receptis adversari. Sed instat Clerus apud Regem acerrime, ut Concilium publicari permetteret sub his conditionibus (1) *citra præjudicium jurium Majestatis Regis Gallia.* (2) *Salva libertate Ecclesiæ Gallicanæ.* (3) *Salvis etiam privilegiis & Exemptionibus capitulorum.* (β) Sic quidem obtinuit tandem Clerus, ut sibi, connivente Rege, liceret publice illud recipere, Rex ipse autem sua auctoritate receptionem istam non confirmavit. Populo autem blandis verbis persuasum est, ut in